



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Investigandum nunc an restituta à Ludovico Pio electionum libertas regij assensus necessitatem excluserit. Non abolitum fuisse probatur ex Floro, qui sub eodem Ludovico floruit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

CAPVT XIV.

Synopsis.

I. Investigandum nunc an restituta à Ludovico Pio electionum libertas regij assensum necessitatem exclusiverit. Non abolitum fuisse probatur ex Floro, qui sub eodem Ludovico floruit.

II. Referuntur ejus verba quoad electionem canonicam.

III. Tum etiam quoad assensum regium.

IV. Ex Floro colligitur consultationem Principis tunc adhiberi solitam in electionibus Episcoporum. Debere porro Principes assensum electioni rite factæ, nisi grave aliquid obstitat.

V. Perstringi autem Florus conatum Ludovici, qui clero & populo eos qui sibi grati erant commendabat, ab illis eligendos; sicque vota electorum anteverebat.

VI. Consultationem ad Regem missam post electionem probatur etiam ex causa Ecclesie Senonensis; quæ explicatur. De dignitate Archiepiscopi.

VII. Cum itaque summam electionum ad se traheret Ludovicus, à Concilio Parisiensi monitus est ut bonos rectores in Ecclesia constitueret.

VIII. Regium assensum in Italiam quoque intulit, contra morem Karoli magni. Tum electio Romani Pontificis subjecta erat ordinationi Imperatorum.

I. **S**VPEREST non inelegans quæstio ad plenam Capitularis explanationem, an restituta electionum libertas regij assensum necessitatem exclusiverit. Sanè verbis edicti non est reservata, sed neque dempta. Quare cum assensus ille non solum consuetudine natus, sed canone quoque à Concilio Aurelianensi sic probatus fuerit ut electionum libertate misceatur, proclivius est ut dicamus non abolitum hac lege. In quo non solis conjecturis agendum, cum habeamus disertum Flori Magistri testimonium. Florebat hac ætate auctor iste, à Walfrido Strabone valde laudatus; qui sententiam suam de electionibus in fragmento quodam descripsit circiter annum DCCCXX. quod edidit Papius Massonus, & ex eo illustrissimus Baronius; ex quo decerpenda sunt aliqua.

II. Ac primùm quæ pertinent ad canonicam electionem, deinde quæ pertinent ad consensum Principis. Manifestum est, inquit, omnibus qui in Ecclesia Dei sacerdotale officium administrant quæ sunt illa quæ in ordinatione episcopali & sacrorum canonum auctoritas & consuetudo ecclesiastica juxta dispositionem divinæ legis & traditionem apostolicam jubeat observari. Videlicet ut pastore defuncto, & sede vacante, unus de clero Ecclesie, quem communis & concursus ejusdem cleri & totius plebis consensus elegerit, & publico decreto celebriter ac solemniter designaverit, legitimo Episcoporum numero conse-

Tom. II.

cratus locum decedentis antistitis rite valeat obtinere, nec dubitetur divino judicio & dispositione firmatum quod ab Ecclesia Dei tam sancto ordine & legitima observantia fuerit celebratum. Hac sunt quæ & in Conciliis patrum & in decretis apostolica sedis Pontificum statuta reperiuntur & comprobantur. Mox laudato Cypriani loco de electione Cornelij, subjungit: Iuxta hæc verba beati Cypriani ordinatos fuisse constat & legitime præfuisse universo populo deinceps omnes Ecclesiarum Dei antistites absque ullo consultu mundanæ potestatis à temporibus Apostolorum & postea per annos fere quadringentos. Ex quo autem Christiani Principes esse cæperunt, eandem Episcoporum ordinationibus ecclesiasticam libertatem ex parte maxima permansisse manifesta ratio declarat. Neque enim fieri potuit, cum unus Imperator orbis terræ monarchiam obtineret, ut ex omnibus latissimis mundi partibus, Asia videlicet, Europa, & Africa, omnes qui ordinandi erant Episcopi ad ejus cognitionem deducerentur. Sed fuit semper integra & rata ordinatio quam sancta Ecclesia juxta traditionem apostolicam & religiose observationis formam celebravit.

III. Quid autem sentiat de Regis assensu, qui tunc adhibebatur, sic explicat: Quod verò in quibusdam regnis postea consuetudo obtinuit ut consultu Principis ordinatio fieret episcopalis, valet utique ad cumulatum fraternitatis, propter pacem & concordiam mundanæ potestatis; non tamen ad compleendam veritatem vel auctoritatem sacre ordinationis, quæ nequaquam regio potentatæ, sed solo Dei nutu, & Ecclesie fidei consensu, cuique conferri potest. Quoniam episcopatus non est munus humanum, sed Spiritus sancti donum, sicut ostendit Apostolus &c. Mox: Unde graviter quilibet Princeps delinquit si hoc suo beneficio largiri posse existimat quod sola gratia divina dispensat; cum ministerium sue potestatis in hujusmodi negotium peragendo adungere debeat, non præferre. Deinde rem concludit his verbis: Quæ omnia non ideo dicimus quasi potestatem Principum in aliquo minuendam putemus, vel contra religiosum morem regni aliquid sentiendum persuademus; sed ut clarissime demonstretur in re hujusmodi divinam gratiam sufficere, humanam verò potentiam, nisi illi consonet, nihil valere. Quapropter in sacris canonibus patrum, ubi plurimæ causæ commemorantur sine quibus episcopalis ordinatio irrita habenda est, de hac re nihil invenitur insertum.

IV. Non existimavi superfluum hujus auctoris verba proferre: quæ duo eximie probant, & consultum, ut ille loquitur, sive consultationem Principis tunc adhibitam in electionibus Episcoporum, & modum quem ille desiderabat à Principibus servari. Nempe ut rite & legitime factæ electioni assentirentur, nisi grave aliquid obstitit, & ab

Fff ij